

*filios filiorum computabant inter filios: et firmatum est, ut aequa-
liter cum patruis haereditatem diuiderent pacto sempiterno. Hoc
est lege posthac semper seruanda et custodienda. Vnde vel hac
sola vniuersali imperii constitutione Ottonis M. Imperatoris
inspecta antiquarum, siue Francorum siue Wisigothorum siue
Langohardorum siue Saxonum, consuetudinum contraria-
rum enarratione supersedemus, sublato quoque postea inter
filios ac filias respectu successionis vicariac discrimine, quod
iure iuxta Alamannico et Saxonico medii, vt aiunt, aequi, ser-
uabatur. Vid. Jus Prouincial. Alamann. cap. 253. et Ius Pro-
vinc. Saxon. Lib. I. art. 5.*

§. XXII.

*Progredior ad eorum, qui a latere sunt cognati, suc-
cessionem vicariam. Iterum hic iuris Romani et veteris Ger-
manici differentia occurrit. Primum de illo, eiusque in no-
uam succedendi rationem conuersione. Jam Lex XII. Tabb.,
non extantibus heredibus suis, agnatos proximos ad suc-
cessionem vocauit, exclusis cognatis, nec inter ipsos agnatos re-
praesentationi loco relicto, adeo vt ne propiore quidem repu-
diante hereditatem remotior admitteretur. Quamquam Prae-
tor cognatos interque eos quoque remotiores successionis fecit
compotes editio vnde cognati. Vid. §§. 3. 4. 5. et 7. Inst. de
legit. agnat. successione item pr. et §§. seq. Inst. de success.
cognat. Jure Romano nouo, non extantibus descendantibus,
inter quos repraesentatio semper obtinet, non collaterales,
seu agnati seu gentiles seu cognati, sed ascendentes, quibus
tamen, si adsunt forte propioris et remotioris gradus ascen-
dentes, definitio repraesentationis accommodari nequit, here-
ditatem soli capiunt. Nisi quod cum defuncti descendantibus
eiusdem germani germanaeue in capita, per Nouell. 118. c. 2.*

Quatenus
repraesen-
tatio in suc-
cessione col-
lateralium
iure Roma-
no obti-
neat?

vers.